...rk

... Ord.

1640 die 15 Martii.

Samborski Alberti: Jason Academicus —

IASON ACADEMICVS,

QVI

INGENVIS ET VENERABILIBVS XXIV. VIRIS,

Secundæ Laureæ in Artibus & Philosophia CANDIDATIS,

Ob

VELLVS AVREVM SCIENTIARVM ET HONORIS GLORIOSÈ REPORTATVM,

Dum

IN AVLA DIVI IAGELLONIS in frequentissima Clarissimorum Hospitum corona, solenni ritu, Artium & Philosophiæ Licentiati renuntiarentur;

De Literato Gazophilacio donaria,

Hoc est

PLACITA VIRORVM DOCTISSIMORVM,

ELARGITVR;

Et ab

ALBERTO SAMBORSKI eiusdem Laureæ Candidato,

Anno Domini, M.DC.XL. die 15. Martij

575.

MONSTRATVR.

CRACOVIÆ, Ex Officina Typographica Francisci Cæsarij.

In Stemma,
DOMVS BARYCZCIANÆ.



Binæ mira crucis moles ſuffulta niteſcit,
Vna premit terras, ſpectat at illa Polos.
Baryczkarum etenim pietas, Nomenq; niteſcit
Hoc nitidum in terris; illa ſed aſtra petit.
At quæ hæc fulcra cruces geminas fulcire laborant?
Exprimitur fulcris Regius hiſce fauor.
Ergo Domus fortis nec ſubdita caſibus vllis,
Cui tellus plaudit, Rex fouet, aſtra fauent.

NOBILI ET GENEROSO DOMINO

ALBERTO BARYCZKA,

SAC: REGIÆ MAIEST: AVENARVM PRÆFECTO, Domino & Patrono obseruando;

ALBERTVS SAMBORSKI, Secundæ Laureæ Candidatus perennem felicitatem P. P.

EA est fortunæ in rerum humanarum regimen nimium sese ingerentis vis, ne dicam, assidua in transuersum agendi consuetudo, Magnifice & Generose Dne, vt quamuis homo ratione, & infracta sui arbitrij libertate obarmatus, ab omniq; ei obsequendi necessitate seiunctus esse videatur: non raro tamen illius parere imperio, iussis morem gerere, cupiditati deniq; cogatur obtemperare. Illa enim sæpenumero hominem rectâ quapiam operandi studio & desiderio incitatum, si non ipso aditu facti arcet, at certè omni eum placita consequendi spoliat facultate: subterfugienti vero, & longe diuersa meditanti nuper iniquè denegata tradit, & violenter obtrudit facienda: adeo, vt Pòëticum illud, quod Roxolanus noster Orichouius, ad Polonos sui temporis depingendos intorquet, nolunt vbi velis, vbi nolis cupiunt vltro; idem de hac rerum humanarum (vt placet antiquis) domina non immerito possit affirmari. Et eius quidem rei egomet plusquam manifestum sum argumentum. Vt enim primùm demandatam

tam mihi tuorum Magnifice Dn̄e filiorum curam, & institutionem suscepi; dabam equidem non segnem operam, vt præter curas & vigilias in eorum polienda ætate deuoratas, Tibi quoq; Magnifice Dn̄e, cuius in premendo Musarum calle non paruum mihi esset subsidium, grati animi mei significationem, quasi quoddam auctarium, aliquo indicarem argumento. Et voluntas quidem aderat, facultas verò ob occasionis inopiam deerat. Porro nunc dum puluerem Academicum in promerendo secundæ Laureæ honores laboriose colligo, nec aliud cogito præterquam vt omnibus exterioribus expeditus curis laborum inchoatorum debita victoriâ lætari possim; en ecce illa toties mihi expetita & toties à fortuna denegata gratitudinis meæ, Tibi Magnifice Dn̄e declarandæ occasio mihiq; (vt dicam quod res est) subterfugienti vltro sese offert, & obtrudit: dum Concandidatis meis, ob superatos in Philosophia labores, honoresq; delatos gratulandi mihi demandatur officium. Quanquam verò & Musa mea suæ conscia tenuitatis, & aliorum laborum obuenientium, pondus me à proposito reuocarent: malui tamen parum facundus, quam parum gratus in Te Generose Dn̄e videri, omninoq; censui, nullo gratificandi studio teneri, non dubium esse inurbanitatis indicium, aut ingratitudinis suspicionem: quorum alterum à viro literarum amante longè abesse debet, alterum non hominum tantum sententiâ, sed ferarum etiam nutu gestuq; improbatum. Affero igitur ad Te Magnifice Dn̄e impolitum quidem, vtpote ex longa redeuntem nauigatione, sed tamen animi mei Tibi obligatissimi, verum internuntium Iasonem Academicū, qui secundæ Laureæ Candidatis ob superatum laborum Philosophicorum pelagus, Vellusq; Aureum Scientiarum & Honoris, non in Colchica regione, sed inter Academicos parietes decerptum, literatum referat thesaurum, donariaq;, hoc est, Virorum Doctissimorum placita seu sententias, laudibus eorum inseruientes liberaliter elargitur. Specimen hìc habes Magnifice Dn̄e Academicæ institutionis: ex qua conspicuam Virorum Coronam, ob labores præmiatam, ad Patriæ & Academiæ ornamentum prodire intueris: vt nequaquam Tibi dubitandum sit in tantis laborum præmiis fore, vt filiorum tuorum, quorum Academiam Matrem, me verò Custodem esse voluisti, exculta & erudita indole gaudeas, Tibiq; eam gratuleris. Et quamuis superuacaneum esse quispiam existimare possit, Athenis Athenas laudare, hoc est Academicorum præmiorum exemplar in breui charta depictum Tibi Magnifice Dn̄e, cui Academiæ disciplinam, vel in filiis placere, iam pridem compertum est, dicare: nihilominus tamen, vt vua Bacho, spica cereri, Floræ odorifera quantumuis ijs affluant, non displicent; ita, quantumuis Generosum pectus Tuum amore erga Academiam exæstuet, tamen opellam hanc meam eò gratiorem apud Te fore non possum non diuinare, quò manifestius est, simile ad suum simile, naturali ferri desiderio. Quæ cum ita se habeant, Tu Magnifice Dn̄e, pro consueta tua facilitate & affabilitate, Iasonem hunc Academicum, gratitudinis in Te meæ & disciplinæ Academicæ indicem accipe, & sinu tuo Argonautam hunc longa defessum nauigatione tanquam portu expetito dignare, fauoreq; prosequere. Quod si facis, erit quod sibi gratuletur, mihiq; suo ad Te Magnifice Dn̄e prodromo gratias agat singulares. Vale Magnifice Dn̄e, & Serenissimo Regi carus, Academiæ fauens, Tuis Clientibus & Filiis, eorumq; Pædonomo Patronus singularis, non minus diutissimam, quam felicissimam exigas vitam.

IASON

Perillustri & Admodum Reuerendo Domino, Domino
MARTINO CAMPIO VADOVIO,
S. Theol: Doctori & Professori, ACAD: CRAC: PROCANCELLARIO longe dignissimo,
GRATITVDO.

TE firma Consi Lechici ô gloria, &
Docti Senatus Cracici inoblitum decus
Cunctis VADOVI; iam ipsa furia Tartari
Inimica Recti, & vmbra Virtutis sequax
Inuidia pertimescit, amplius neque
Opponit atram gloriæ nubem Tuæ.
Inuita quin laudum Tuarum debitas
Non abdito sub corde reprimit buccinas
Sed ore non ficto canit VADOVIVM.
Tu gemmeam normam vetustæ Academiæ
Candoris & speculum eruditi ipse exprimis.
Dum corda & os vnam tenere lineam
Doces, nec alto lingua cordi dissidet.
Tu si dolosa forte turba detonat,
Quam mundus iste corde portans toxicum
Solaque tantum pelle pulcher Histrio
A veriori Matris auocat sinu;
Mox fortem, & acrem, & Numinis żelo igneam
Cuncta impauentis pectoris sententiám
Fætum beatum despuis: non cuilibet

A Opinionis

Opinionis mobili vento obſequens,
Sed corda cautus cingis ære triplici
Scientiarum, ceu petra & Marpeſia,
Linguæ retundis captioſa murmura.
Hæc ſera quondam poſterorum ſæcula
Seris retexent perpetim Nepotibus.
Et ipſa vincla diſtrahens ſilentij
Antiquiorum fæta mater temporum
Explebit orbem VADOVIANIS laudibus
Hiſtoria: porro nos Tuo ſub nomine
Ad altiores laureæ ducti exedras
Queis Muſa ſpiritus tenuiores dedit,
Augere quam vt Tuæ queamus gloriæ
Æternitatis inſepultam memoriam,
Inſtar minorum VIVE volucrum dicimus.
Te Summus alti ſideris factor Deus
Diu vigentem ſoſpitet: vt olim domos
Serus polares comprimas ſacro pede.

EXCEL-

EXCELLENTISSIMIS, Admodum Reuerendis, DOCTISSIMIS PROFESSORIBVS, BENIGNISSIMIS EXAMINATORIBVS GRATITVDO.

ODE TRIC: TETRASTR.

Quem diserti post stadium Apollinis
Victum, PIOTROVICI Sophiæ decus
In calle primis differenti
Cracus Aristoteles beauit.
Et Tu Quirini sedulus eloquI,
Cui melle facundo ora beatior
Apollo VITELLI rigauit,
O columen Craciæ palæstræ. &
Tu cui latentes largior indidit
Natura causas, corda scientiæ &
Gestare fecit plena, Mater
Sedulitas Sophiæ MODLINI
Si iam Stagiræ marmore Craciæ
Littus remenso contigit anchora.
Desideratos & nitores
Laureolæ capiemus amplæ
Labore Vestro; Viuite Viuite.
Et Vestra cæli nomina sospitent
Vestro labori præmium det
Perpetuum Iagelonis aula.

AD VENERABILES Secundæ Laureæ CANDIDATOS.

ARcton Sarmaticam, ante duos Annos in solenni nostrum ad primam Lauream promotione dederam VV. Licentiati: cum eo nomine nihil aliud præstare mihi esset animus, quàm plerosq; Vestrum meos tunc Concandidatos, & alios quibus Honestum ex Academia collectum esset cordi, admonere & hortari, vt in isto quodam veluti studiorum Oceano solius Academiæ (quam eo titulo insignîueram) auspiciis & præceptis, ad maiora honorum fastigia deducerentur. Et voti quidem mei me compotem factum esse inficiari non possum: dum ornatissimam hanc Vestrûm coronam intueor: non quod carminibus illis, aliquam vim inesse existimem, sed quod vos honesti, & bonarum artium incensi amore effeceritis, vt quod exoptabam, dum metrum illud parturirem, eius fructu in hac Vestra ad secundam Lauream conspiratione saciari mentem meam & expleri sentiam luculenter. Cum igitur ad lumen huius sideris labores Vestros compositos esse videam; En IASONEM *hunc Academicum Vobis exhibeo: qui longissimo laborum exacto cursu, in ipsa respiratione, quasi in littore consistens, Vobis propter Aureum Vellus Scientiarum & Honoris, quod illo duce, quasi quidam Argonautæ estis nacti, præter publicam laboriosæ indolis commendationem; nonnulla etiam è Gazophilacio literato deprompta largitur donaria. Quæ si doctrinā magis quàm diuitias sapiunt doctrinam ille magis quam diuitias imprecatur: si Vestrûm quempiam meritâ dignatur commendatione, laboriosis addictus est: si deniq; quorundam animos ad altiora erigit, eorum quæ Vobis supersunt in Academia labores præsagus est. Cum igitur & Academicus sit, & Vestri boni amans, & studiorū addictus laboribus, & deniq; Vates; quidni VV. Licentiati eius donaria, hoc est virorum doctissimorū placita grato & memori pectori imprimatis? Imprimite, & Argonautæ ab Argonauta Academico impolita donaria æqui, boniq; consulite.*

IASON ACADEMICVS,

ELARGITVR DONARIA.

V. D. STANISLAO SŁAWĘCKI,

SENIORI S. STEPHANI.

Scitum Leonidæ.

Melior eſt exercitus Ceruorum Duce Leone, quam Leonum Duce Ceruo.

O Cui, Virili Martyrum in agmine
Primus, coruſcum & Romulidûm decus,
Suæ, locauit ſorte curam, &
Præſidium Stephanus, Iuuentæ.
Hoc Te Mineruæ diuitiæ loco
Conſi bearunt, primus vt exedram
Eas in altam, fructuoſum &
Sis ſpeculum, iubar atque nobis.
Tu dum eruditâ curris in orbita,
Sophoſque iactas doctior; illico
Ad literatum concitati
Proſilimus celeres laborem.
Leone Cerui ceu Duce, fortiter
In bella currunt. Numine proſpero
Diſrumpe non paruam laboris
Eia age Palladij catenam.
Sequemur vltro, quæque Polonico
Reſtant Lyceo prælia Apollinis
Vincemus infracti: Tibique
Turba Duci recinemus Io.

V. D. STANISLAO TEMBERSKI,

Nullus labor durus, quo gloria æternitatis acquiritur. *Hieron: in Epiſt.*

*A*LCMENÂ genitus maxima Maximi
Diuorum soboles, nobilis Hercules,
Multis supposuit colla laboribus,
Factus Victor at omnium.
Et magnum timidi subsidium Poli,
Casuris humeros sideribus dedit,
Iacturæq; graui climatis obstitit
Atlas: sed benè viderant,
Facti tanta sui nomina, posthumis
Sero tempore victura nepotibus.
Vrunt namq; animos præmia, sæculis
Non delenda perennibus.
Temberski, Aonij dulce decus chori,
Quem mores nitidi, candida & indoles
Ornant, maxima certamina Laureæ
Inuictus superas. age,
Desudes Gracio tramite longior
Et Phœbi stadio non pauidus gradum
Constantem moueas, vt sacra Te suis
Portet fama curulibus.

V. D. ALBERTO KARWOWSKI,

Omnino iniquum est nobiliora ingenia studijs dehonestari minoribus. *Ioan: Chrisost.*

QVi non dolosi diuitias boni
Sagaciori lance volatilis
Mentis probauit, rebus atque
De medijs bona vera legit,
Hic grande fecit. Fulminis impiger
Satelles haud vnquam generosior
Ignobilem prædam sequaci,
Sed rigidos necat vngue tauros.
Tu disce, veras, ad sapientiæ
Spirare sedes, lubrica ludicro
Fortuna nec Te ductet orbe,
Pollicitis vitreis dolosa.

Iniqua

Iniqua quam ſit diſpice, diſpice
Virtute præclara & meritis ſine,
Hic dona prendit, quemque ſtare
Fas fuerat, iacet in profundo.
Qui impræmiatus ſtertere debuit,
Stipendiorum hic munera ſurripit
Virtutis almæ. Tu Camænas
Artis ama Lechicæ Datrices.
Quæ Te coruſco nominis eſſedo
Vltra Poloni culmina Carpathi
Vehent, daturæ clarioris
Præmia non moritura laudis.

V. D. ALBERTO SARNOWIC, PREMISLIENSI,

Si quis omnem vitæ ſuæ curſum in ſola animi contentione conficeret: hunc mea ſententia diuinis quibuſdam bonis inſtructum atque ornatum puto. *Cicero pro Cælio.*

ORnatus geminæ lumine Laureæ
O lux Palladio candida in agmine
Dum ſuprema beatæ
Aſpiras ſapientiæ
Docto tecta gradu viſere, pectore
Illas ſollicito condere geſtias
Pelleus Iuuenis quas
Tranſmiſit Dario minas.
Soles aula poli non patitur duos,
Et regni ſolium nobile, comparem
Odit: verna duobus
Nunquam ſufficit vnicus.
Quod ſi Te omnigenæ ſpes ſapientiæ
Protrudit ſtimulis, ſi iuga Apollinis
Optas ſumma Poloni
Felici premere omine;

I perge indubius Numine prospero,
Hæc sed vana Tuo corde repellito
Quæ mundus veterator
Falsò lumine iactitat.

V. D. ZACHARIÆ HELCNER, PREMISLIENSI,

Omnia quæ à nobis geruntur, non ad nostram vtilitatem, sed ad Patriæ salutem conferre debemus. *Cic: in Vatin.*

LEonis vrbi sola quæ Ruthenici
Cedunt, Premisli culmina,
Altrix Tibi donata Patria cælitus:
Quâ dignitate perpetim,
Septem sub algidis volat Trionibus.
O clara proles Helcnerûm
Hanc literatis Te elaborare ausibus
Sub vngue Consi perdecet:
Phæbea quasque Laurus auget Nominis
Docto in Senatu adoreas,
Priuata non censere laudis munera,
Soli referre ast Patriæ.
Scintilla si fors parua cumulat Cynthij
Illime corpus lucidi,
Natique præclara in parentes gloria,
Redundat, & laudis nitor;
Cur gloriosa non Tuam Laurus quoque
Suauem coronet Patriam?

V. D. CHRISTOPHORO SZVSLINSKI, Palinodia ad Carmen Pòétæ,

Fronte capillata post est occasio calua.

LYsippe magnum ô Sycionij
Lumen Senatus, dum faciem Deæ
Occasionis fingis arte;
Occipiti tribuas capillum.

Comata

Comata nec frons amplius emicet,
Nec calua posthac tergora: Tu quoq;
Occasionis fronte crines
Demito, caluitiumq; tergo
Poëta, pubem qui teneram instruis.
Nam vestra tollit dogmata Suslinius,
Occasionem, nudiori
Caluitio, retinet fugacem.
Dum quippe grandem nos propius sumus
Metam laborum; tactus Apolline
En ille primum tunc fidelis
Deproperat fieri laboris
Nostri sodalis, moxq; fauentibus
Musis capit subsellia frontibus
Lauri ferendæ. Vos Camœnæ
Insolitos stupeatis ausus.
Occasionis nam Sycionius
Tergo capillos subtrahit; inclytus
Suslinius sed nudiori
Caluitio reperit capillum.

V. & R. P. ALBERTO SKAWINSKI,

Vir cuius perspecta vita est, vno verbo vel nutu, longas aliorum superat Orationes,
Pittacus.

TV quanquam anhelis clarior additus
Liturgus aris stes, & inertia
Sacrati honoris grande nomen
Regna super populosq; ducas;
Quanquam & Verendos, arbor Apollinis
Sequax laborum Palladio beat
Serto capillos, pulluletq;
Binus honor gemino labore;
Ast vita & almis maior honoribus
Corona virtus, candor & aureus,
Amorq; Iusti & cauta Ductrix
Simplicitas, populiq; norma,

Te obliuiosis nubibus eripit,
Mistamq́ Consi non sine Laureis
Leuat polis & præstat alto
Ire parem superûm penati.
Beata tanto nomine Laurea
Cui, dum virorem subdit Honoribus,
Et vita ô Scauini, honores
Et pietas, locat ampliores.

V. D. VLADISLAO MITKOWSKI,

Ferarum catuli sequuntur Parentes: à cespite suo virgulta non discrepant, &c. *Cassiodor: Epist: 14. lib: 2.*

VEr mite postquam subsidio Poli
Benignioris, vicerat Æoli
Sæuos malignantis furores;
Protinus altiuolans Tonantis
Iouis minister, sydereas premit
Vias, priores quas sibi fortior
Paterna demonstrauit ala,
Nubibus & propior volatus.
Audax arenæ rex Lybicæ Leo
Prædator, atro vt viscere prodijt
Matris Leænæ, mox minaces
Non dubius sequitur parentes:
Et tu Parentis maxima spes Tui
Lumenque certum Mitkouiæ domus,
Si calle monstrato venustæ
Ad Craciæ properas Corymbos,
Sequaxq́; Patris consequeris gradus;
I perge fælix. Nubila nemini
Vnquam nocebunt, qui fidelis
Iussa colit Patris eruditi.

V. D.

V. D. IOANNI CÆSARIO,

Spartam ſortitus es hanc orna. *Euripides in Teleph.*

SEV Te Cæſarium nomine Patrio
Iactet Calliope, ſeu mea Te metra
Dicant Cæſarianum
Noſtræ gloria Laureæ.
Nec Te laus Patrij nominis inclyta
Caſtum Luminibus linquit, in arduas
Queis conſcendere poſſis
Virtutis nitidæ domos.
Durum quippe Parens vt ſenium libris
Demit, quando ſonos pagina prodidit
Iam victura gementes
Prælo condita Cracio.
Sic & Tu Cracias ductus in exedras
Æternam ſtudiis confice gloriam
Muſis, atq; Labora,
Æuum ne noceat Tuis.
Tu primum geminis non ſine plauſibus
Ornabis Patriæ laudis amabilem
Spartham, quæ tibi pluſquam
Nautis clara Pharos nitet.

V. D. IACOBO LEMIESZ,

Caſtor & Pollux graues nautis cum ſolitarij venêre, mergenteſque nauigia, gemini autem ſalutares & proſperi curſus prænuntij. *Plin.*

NImphæ Vandalides, celſi quæ ſumma Veneti
Culmina pone vadum
Irriguum Craci greſſu calcatis amæno,
Nauibus abſque cauis;
Portendo vates felicia ſidera vobis
Proſperum iterque maris.
Me Batthis Pruſsi, Venetus non Adria vidit,
Bina ſed aſtra mihi

Dum

Dum Fratrum Lemiesz Iagelonis in axe refulgent,
Et paribus studijs
Vrgent laudis iter veræ, pariterque laborant,
Nulla timenda reor
Nubila; Castor enim frænum comitatus inoffensum
Æquoris aptat iter.
Tu tamen excelsum qui prodis Maior in agmen
Nomina magna lege.
Seuque cupis Pollux cantari, nomine siue
Castora ferre cupis,
I bone, & vt rebus possint quadrare labora
Nomina pulchra suis.

V. D. IOANNI LEMIESZ,

Multa nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita virtus conniueret: & multarum rerum iucundissimarum varietatem dedit, quibus non modo prima ætas, sed etiam iam corroborata caperetur. *Pro M. Cælio.*

Cvi sæuus Gerion, Cerberus & Stygis
Custos Tartareæ, cui Leo & horridus
Quondam succubuêre,
Alcmenâ satus Hercules
Posthac deliciis diffluit, inclytâ &
Torsit pensa Manû. Sic ferus Annibal
Fracto robore Romæ
Ceruicem Capuæ dedit.
At tu deliciis ecce domesticis
Plenus, laudis iter Palladiæ premis
Infractoq; nocentem
Sternens corde Volupiam.
O felix nimium laurus in ignibus
Cui ardet mediis; qualiter inuia
Contemptrix Salamandra
Flammæ cedere nescia.

V. D. IOANNI MAKOWIECKI,

Speciosa est Veteranis sapientia, & gloriosus intellectus, & consilium. *Eccles: 25.*

Nec

NEc Tu Camænæ ſerpis vmbra vilior,
Sed celſa plantas per iuga
Vrges, ad vlla non trementes ardua.
Non quippe Te glebæ cogunt,
Quas dignior non auribus Midas modo
Aſini, ſed & cognomine,
Stultè popoſcit: nec moloſsi quam aulici,
Oſſam nitorum obeuntium
Captas: ſed alta mente muſarum vias
Premis amor vnus Palladis.
Hic inter ambiguos es inſcius modos
Fluitare, quando Apollinis
Docta in Stagira bella docta perſonant
Iagelonia & certamina.

V. D. SIMONI ŁOSIECKI, SENDOMIRIENSI,

In ſenectute honorem legitimum conſequi non poterit, qui in adoleſcentia diſciplinæ alicuius exercitatione non laborarit. *Cipr: de Abuſ.*

PAlladij quanta te exornant dote labores
Iuuenta dum florens genas pingit Tuas.
Tanta tuæ veniet Łośiecki acceſsio laudis
Pruina dum canos capillos conteget.
Corporis & macri pallentia membra ſenecta
Curuabit opibus diues almi Apollinis.
Sic viridis verni dum floret ſcena theatri
Si Sendomira floribus malus gemit;
Arboris explebit donum, bene fætus herilem,
Autumnus vt primùm ſuum Regnum excret.
Et tu Łoſiecki primæuo flore Iuuentæ,
Non quilibet quas vir meretur laureas,
Suſcipis: hos tua dant Iuuenilia ſæcula, flores?
Qui fructus autumno vireſcet? dicito.

V. D. ANDREÆ WOLFOWIC,

O fili, quam verum est hoc dictum: Ex bonis viris liberos gigni bonos. *Euripid: in Alcm.*

NOndum virili tegmine contegit
Genas capillus, ſed radians Tibi
In ore ridet candicanti
Atque oculis melior Iuuentus.
Et iam Paternas, fratris &, arduas
Lauros prehendis. Qualiter impiger
Iouis miniſter vere primo
Promptus iter graditur Paternū.
Siue vt Marathon Miltiadis decus
Magni verendum, concitat intimas
Virtutis ad curas ephebum,
Atque adimit ſapidum ſaporem.
Wolfouium ſic Tu decus inclytum
Spectas Paternæ munera gloriæ
Et fratris exculti Corollas.
Ad ſimilem properas nitorem,
Lauroſque prenſas. ſcilicet hæc domus
Amata Muſis, cinctaque Laurea
Perenniori, neſcit vnquam
Degeneres generare fætus.

V. D. GEORGIO PIECHOWIC.

Fontem vnde hauſeris orna. *Elias Reuſn:*

VEllus aurati reuehis nitoris,
Macte Piechowicz virideſq; Lauros
Prendis, vt primum ſuperas verendi
Prælia Conſi.
Non decus tantum capit impolitum
Vulgus, atq; artis vacuæ cateruæ,
Te tamen veſtit data gemma plus quam
Æquore ab alto.

Perge

Perge & in nostris studiis anhelum
Promoue gressum, patriæ palæstræ
Sis memor: sed plus refer obligatus
Munere Lauri
Craciis Musis: Tibi nam perenne
Nomen & clarum veniet: Quis isto
Quippe sub tecto caret Æuiterno
Nomine famæ?

V. D. MATHIÆ IVRKIEWICZ,

Tu contra audentior ito. *Virg.*

PErstringit acris fax Academiæ,
Turba & virorum fors Tua lumina
Exculta, pulchros quando honores
Suscipis in Iagelonis aula.
Verùm fugit Te numne Academiam
Matrem vocari? nomine Sarmata
Hoc ornat illam, fortis atque
Hungarus & Litaui Nepotes.
Huius benignis auspicijs celer
Mentem virili pectore concita
Audentiorem, quærito atque
Aonias animosus ædes.
Mentem pauentem nam Timor arguit:
Os vt Pòétæ fatidicum canit,
Et lippa solem quæ tuetur
Degener est aquilæ propago.

V. D. ANDREÆ STEPHANSKI,

Habenda est ratio diligenter, quos imitemur, quorum similes esse volumus. *Cic: 1. de Orat.*

DVctore nullo, dum studium colis,
Egebis vnquam: regna per extera
Versate quondam, ô Stephanski
Dum modo stella tibi HERCIVS sit

In calle Consi; cuius in inclyto
Nunc educatus dogmate suscipis
Lauros virentes: iste quippe
Vera Tibi Cynosura fiet,
Mundum ille vidit dissociabilem,
Europæ & oras viderat inuias.
Et Tu Magistrum ô Stephanski
Ausibus his imitatus olim.
Sed cura Musæ si similis Tuam
Mentem tenebit (quam bona sors Tuæ
Laudi faueret) nomen inde
Fama Tuum referet sub axem.

V. D. ANDREÆ ROLSKI,

Honestæ vitæ institutio ab iis præceptoribus est petenda qui virtutem ipsis factis præstiterunt. *In Apopht: Pauli Manut.*

VVA, canit vates, liuorem ducit ab vua,
Odore & almum, vasa replet pharmatum.
Te quam ô oculis viderunt astra benignis,
Musarum amor Lumenq; Rolski candidum?
Suntque Tuum studium quanto dignata fauore
Benigna fata celsioris Numinis?
Quando Iageloniæ tendenti ad præmia Lauri
Gazasque doctrinæ tenendas aureæ;
Te Cyrrhæ gnaro doctæ ductore redonant,
Quo præeunte reconditos Phæbi Lares
Sepositumque sacræ lumen, sedesque Mineruæ
Tangas, Camænis des fidelem & dexteram.
Accelera propero gressu, vestigia nostri
Vrge Magistri, iussa rite & exprime.
Tunc iaciet primùm maiores Laurea luces
Tandemque priscus veriori carmine
Vua, canet vates, liuorem ducit ab vua,
Odore & almum vasa replet pharmacum.

V. D.

V. D. PAVLO PRZYTVŁOWIC,

Armat ſpina roſas, &c. *Claudian: in Epith.*

NAtura præclaras nemoribus inuiis
Muniuit artes cautior,
Callemq́; durum ſtrauit atris vepribus:
Ibi & labores excubant,
Et obſeratis conſident moleſtiæ
Portis grauiq́; ianuæ.
His molliori qui extimeſcit limina
Beata greſſu ſcandere,
Ad montis imum ſtabit inſcius pedem
Ignota cunctis fabula.
Cernis ſalubris ſenſa quid hoc dogmatis
Ænigma quodq́; continet?
Hic te labores ad moleſtos excitat
Noctes & inſomnes honor.
Nam qui tenaci carpit vngue candidum
Florem roſarum, pungitur.

V. D. IOANNI VLADISLAO OFMANSKI,

Quæ habent ſpeciem gloriæ collectæ ex inaniſſimis ſplendoris inſignibus contemne, breuia, fugacia, & caduca exiſtima. *Cic: Fam: lib: 10.*

LVcentem vacuis demito corticem
Rebus, quæq́ue ſuis vana ſequacibus
Mundus iactat inanis
Docto pectore diſcute.
Cernes terrigenûm rebus inania
Eſſe immerſa: nitens & malè venditat
Auri gleba nitorem
Artes & toga Palladis

Non vultus nimium ſedulus aſpici
Non adſtricta beat fibula conſonè:
Non & ſoccus acerbo
Qui modo religat pedem.
Qui rerum vario deliget agmine
Nec contemptim alios duxerit hic bene
Fama facta tonante
Ibit clarus in æthera.
Hæc ſi diſpicias, non Tibi credito
Faceſſent animi prælia candidi,
Luctus, labores, cura & atrox
Impauidis inimica ſomnis.

V. D. SEBASTIANO TRZECIAK,

Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur vltra. *Horat: Epiſt: 1.*

SVpremus altæ Conditor cæli domus
Gazas inaccenſis iugis
Scientiarum ſepoſuit: ô proſperi
Fauêre quantum huic Dij
Qui plebe ſtultâ vindicatus, clarior
Fauſtam Corynthum hanc contigit.
Dedit profundo nomen æquori Icarus,
Celſos volatus appetens,
Decliuiorem vellet ire ſi viam
Victurus olim longius.
At tu Camænæ concitatus amoribus,
I fauſte fauſto ſydere
Ad Laureata ſerta; ſed prius tamen
Expende cauto pectore,
Primisne flagres Palladis conſiſtere
An fors ſecundis, tertiis?

V. D.

V. D. CHRISTOPHORO SIDECKI,

CAROLI V. Imperatoris ſymbolum,

VLTERIVS.

LAborioſæ lumen adoreæ,
Et litterati gloria liminis,
Tam copioſâ dote felix
Munera prende, Lechi Palæſtra
Queis Te redonat. Tu ingenij bonus,
Fæcundioris diuitias libri,
Amæniores, ſeu fauente
Nocte datas vigili labori,
Seu quas Palæſtræ nobilis exedra
Infudit auri; pectoris inuio
Condis receſſu, ſeu quid olim
Colloquium dederat Bonorum.
Exporge frontem Laurea & amplior,
Conſi politam ponito in incudem
Æruginoſi ſi quid vnquam
Moribus & ſtudijs adhæſit.
Beatitatis nullus in integræ
Namq́ue eſt repoſtus culmine. ſed canam
Beatiorem, qui voluntate-
VLTERIVS canit, atque factis.

V. D. IOANNI STRZESZKOWSKI,

Studia Te clarum efficiant & nobilem.

Sen: Epiſt: 21.

DOctus & veri ſtudij fidelis
Concomes, famæ celeres volantis
Quæret haud pennas; canet hunc venuſti
Buccina Conſi.
Phaſon inſano ſtimulatus æſtro
Laudis, & toto cupiens in orbe
Dicier, Numen volucres iubet ſe
Grande vocari.

Falsus at nunquam manet æuiternum
Gloriæ splendor, rediêre quippe
Ad suas voces subito erudita
Guttura cantu,
Si Tuum nomen volucrem ferentem
Expetis, pulchrum studiis Laborem
Adde tunc primum volucer vehet Te
Pegasus orbe.
Si procellosus Boreas laboris
Mole, nutantem reprimit carinam:
Aureum Cracus Tibi fert Honoris
Vellus Iason

V. D. GASPARO PADVKIEWICZ,

Optimum est viaticum ad senectutem.

Eruditio: Diogen. Laert: in vitis Phil.

PAdukiewic Eheu bonè
Annorum volucri currimus impetu
Et tempus rapido pede
Et nunquam reduci, sæcula corripit.
Humanis querimonijs
Surdum nec repetens flumina lachrymæ.
Quas plebs, insenium data
Effundit, subito verna recesserant
Postquam sæcula: scilicet
Annorum series crescit & in dies
Est æuum propius graue.
Verum Te studijs si capiet bonis
Ætas vltima diuitem.
Florescent senibus sæcula mensibus
Ætatis teneræ Tibi.
Atque hyemis medium floribus affluet
Gratis, vereque florido.

VOTVM

VOTVM
Ad Auguſtiſſimam
DEI
MATREM, VIRGINEM,
MARIAM & IOSEPH,
Caſtiſſimum par Coniugum Virginum,
ORATORII ACADEMICI PATRONOS:
Pro
VV. SECVNDÆ LAVREÆ ACADEMICÆ LICENTIATIS.

LVx ô caduci Climatis inclyta,
Cæcis doloſi quæ per inania
Promiſſa iam pridem Ceraſtæ,
Terrigenis radians oborta es
Arctos: beato viſcere Iuſtitiæ
Enixa ſolem. Tu quoque pectoris
Cui caſtioris ſigna, rari &
Coniugij dedit ipſa magnis
Natura monſtris, Virgo Viragini
Annexe cuſtos: ô renitentium
Par mite ſtellarum, venuſta
Nazarei decora, & Trionis.

O queis vetusti plurima supplicat
Stagira Craci, queis Iageloniæ
Instructus artis dat frequentes
Eloquio moderante laudes
Tener Polonus; quà sociabiles
Conseruat aras Principis Angeli
In æde, casto nata partu
Ignigeræ soboles THERESSÆ.
Lycea vobis cernua Lechiæ
Laboriosis claraque adoreis
Iugale ô par, par patronum,
Visite sidereo penate.
Dum pulla tandem turba fidelibus
Nutrita Musis, durè Academicos
Deducta per nisus, bicorni
Litterulâ, solito sagoque
Succincta, paruis mentibus inuium
Æquor laborum non timidâ ingenI
Carina, tranat, littorique
De studijs Sophiæ coempto
Emancipatam proijcit anchoram,
Capitque donum, VELLVS ob AVREVM
SCIENTIARVM ritè partum;
Præside Palladio Senatu &
Nauem coronat. Quanta sed æquore
Enauigato mira parit, ferax
Tellus laborum litterata,
Ingenuo superanda nisu?
Quàm torua, & ô quam spina minacibus
Rigescit hastis, vt lapis eminet
Agro Stagiræo, silexque
Et teneris petra dura plantis?

Vos

Vos ergo (nam quos interea precer)
O clara cæli sidera fulgidi
Nostræque ô stellæ palæstræ, &
Sarmatici duo fulcra Mundi;
Benigniores eia laboribus
Fauete tantis: Ducite ad arduæ
Virtutis excelsum cacumen
Sepositos Sophiæ & recessus
Vestros clientes. Auspicijs enim
Vestroque Diui lumine prodromo
Lauri senectam non timentis
Pulla cohors viret en corymbis.
Vos ergo Consi per reliquum quoque
Ductate circum: vos sapientiæ
Intaminatas ô Patroni
Diuitias date: nam potestis.
O si laboris vos comites mei
Par grande Diuûm lenius excipit,
Quæ nostra pro vobis precante
Pollice congeminat, Camæna!
Quàm fausta vobis Laurea defluos
Stringet capillos? quamque decentiùs
Nitore vallabit sinistram
Æquorei spolium Tonantis?
Librum prehendet dextra tenaciùs,
Nutabit alto vertice pulchrius
Gaudens quadraturâ rotaque
Grande decus capiti galerus.
Si vestra sors hæc pectora concitat
Bino sodales plaudite Lumini
Syluæque non parci Sabææ
Damna sacris adolete flammis.

Sub Auſpiciis felicibus

MAGNIFICI AC CLARISSIMI DOMINI, DOMINI

MATTHIÆ WONIEYSKI,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ

DOCTORIS,

In Alma Academia Cracouień ſtudii Generalis

VIGILANTISSIMI

RECTORIS,

Vrbis Cracouienſis Senatoris meritiſſimi.